

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 35294/03 CG

N

Iurium

Recursus adversus Decretum Exc.mi Decani Rotae Romanae quo declaravit incompetentiam Rotae Romanae Tribunalis in causa.

DECRETUM

1. In causa de qua supra, Exc.mus Rotae Romanae Tribunalis Decanus libellum in limine reicit, quod adversus decretum pars actrix recursum coram H.S.T. binis litteris dierum 6 et 20 iunii eiusdem anni recursum coram H.S.T. instituit. Dein Cl.mus Patronus partis actricis memoriale exhibuit atque Rev.mus Promotor Iustitiae deputatus votum pro rei veritate, cui Cl.mus partis actricis Patronus respondit.

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

2. Viso art. 33, nn. 1-2 H.S.T. *Legis propriae*, iuxta quem “Signatura Apostolica cognoscit: 1° querelas nullitatis contra decisiones definitivas vel vim sententiae definitivae habentes Rotae Romanae; 2° petitiones restitutionis in integrum contra decisiones Rotae Romanae [...]”, quo non amplius de *sententiis* Rotae Romanae, uti in can. 1445, §1, 1° et in art. 122, Const. Ap. *Pastor bonus*, sed de eius *decisionibus* fit sermo,

et ad rem perspecto quod sub voce *decisionum* recolitur praxis diurna H.S.T., admittens, servatis servandis, querelam nullitatis vel petitionem restitutionis in integrum non solum adversus sententias rotales, verum etiam adversus decreta rotalia, immo adversus decreta Exc.mi Decani, sine contradictorio lata, uti patet attentis v.g.:

- prot. n. 15475/83 CG, Calaritana, Querelae nullitatis et restitutionis in integrum adversus decreta rotalia, Decr. def. coram Sabattani diei 1 iunii 1985, quod sub n. II agit de querela nullitatis contra decretum Exc.mi Decani, quo constituebatur instructor extra turnum;

IURISPRUDENTIA : PROT. N. 35294/03 CG

- prot. n. 19673/87 CG, Moguntina, Querelae nullitatis adversus decreta Exc.mi Rotae Romanae Decani ..., Decr. Congressus diei 26 ianuarii 1990: in casu Exc.mus Decanus libellum reiecerat ob manifestam incompetentiam Rotae Romanae et dein, instante actore, decreverat “in decisio”; decretum Congressus querelam nullitatis reiecit ob manifestam parentiam cuiuscumque fundamenti;

- prot. n. 26491/95 CG, Romana, Querelae nullitatis adversus decretum Exc.mi Decani Rotae Romanae..., Decr. Congressus diei 18 martii 1996, quo querela nullitatis adversus decretum Exc.mi Decani, in limine reiciens petitionem restitutionis in integrum adversus decreta tribunalis inferioris, admissa est ad disceptationem coram H.S.T. Iudicibus, et quidem attento voto Rev.mi Promotoris Iustitiae deputati, qui explicite egit de competentia H.S.T. in re et de vi sententiae definitivae impugnati Exc.mi Decani decreti;

- prot. n. 29584/98 CG, Antiochen. Syrorum in Libano, A. Querelae nullitatis adversus decretum, quo... vices Exc.mi Decani Rotae Romanae agens, ... nominavit procuratorem ex officio...; Decr. def. coram Grocholewski diei 24 aprilis 1999, sub n. 10 tenens quod ad H.S.T. “non pertinet in casu videre de asserta illegitimitate decreti impugnati, sed tantum, si et quatenus, de eius nullitate”; in casu querela nullitatis reiecta est ob defectum praesuppositi;

- prot. n. 29765/99 CG, Romana (Bostonien.), Restitutionis in integrum adversus decreta Exc.mi Decani, Decr. reiectionis in limine diei 29 maii 1999: in casu Exc.mus Decanus libellum reiecerat et dein decreverat “ulteriorem recursum illegitime interpositum reiiciendum esse”, remittens quoque ad can. 1445, §1, 1º et art. 122, n. 1 Const. Ap. *Pastor bonus*; Exc.mus H.S.T. Secretarius decrevit petitionem considerari non posse, ut videtur, ob defectum praesuppositi seu ob defectum manifestae iniustitiae;

- prot. n. 32712/01 CG, Aquilan., Recursus adversus libelli reiectionem, Decr. diei 8 martii 2004 quo renuntiatio admittitur: in casu, viso voto Rev.mi Promotoris Iustitiae deputati de competentia H.S.T. in casu, recursus adversus decretum Exc.mi Decani haudquaquam in limine reiectus est et Cl.mus Patronus Rev.di Recurrentis invitatus est ad motiva recursus exponenda; pars actrix dein recursui renuntiavit;

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

- prot. n. 39203/06 CG, Romana, Recursus adversus decretum Exc.mi Decani Rotae Romanae..., Decr. reiectionis in limine diei 9 martii 2007: in casu Exc.mus Decanus recursum in limine reiecerat et causae advocationem denegaverat; Exc.mus H.S.T. Secretarius petitionem restitutionis in integrum adversus reiectionem et querelam nullitatis adversus denegatam causae advocationem in limine reiecit;

3. Perpenso quod non praevideatur in Normis Romanae Rotae Tribunalis intra ambitum eiusdem recursus adversus decretum Exc.mi Decani, quo libellus in limine reicitur, quodque etiam iuxta prevalentem doctrinam et Rotae Romanae iurisprudentiam adversus decretum reiectionis libelli dantur querela nullitatis et petitio restitutionis in integrum;

4. Praetermissa quaestione utrum, necne, hoc in casu, praeter querelam nullitatis et petitionem restitutionis in integrum, locus sit simplici recursui ad H.S.T.,

et ad rem considerato quod utcumque sufficit aliquod fundamentum pro competentia Rotae Romanae in casu ut reiectio libelli in limine manifeste iniusta habeatur, nam Exc.mus Decanus libellum tantum reicere potest, si “indubie constet de incompetentia Rotae Romanae” (art. 51 Normarum Rotae Romanae Tribunalis);

5. Attento quod proposita non est querela nullitatis in casu, quodque Cl.mus partis recurrentis Patronus inter alia ad artt. 55-57 *Legis propriae* remittit, de petitionibus restitutionis in integrum adversus decisiones rotales;

6. Animadverso quod in casu invocata est Rotae Romanae competentia, quia pars conventa esset dioecesis N., sed Exc.mus Decanus, attento libello, recte ipsum Exc.mum Episcopum tanquam conventum indicavit, quodque idem Exc.mus Praesul in casu egit in exercendo suo munere administrativo-pastorali, non autem uti persona privata vel uti repraesentans personae iuridicae dioecesis in relatione paritetica,

et pro comperto quod, etiam si contendatur iura subiectiva laesa esse, huiusmodi in casu non datur accessus ad tribunal ordinarium, nam ad normam can. 1400, §2 “controversiae ortae ex actu potestatis administrativae deferri possunt solummodo ad Superiorem vel ad tribunal administrativum”;

IURISPRUDENTIA : PROT. N. 35294/03 CG

7. Cum proinde non sustineatur ratio ob quam Rotae Romanae competentia invocata est in casu atque ideo Exc.mus Decanus recte libellum ob incompetentiam reiecerit;

8. Praetermissis aliis forte animadvertis, in primis de legitimatione activa partis recurrentis in actione postuma;

9. Re sedulo perpensa in Congressibus diebus 14 septembris 2012 et 11 ianuarii 2013 coram infrascripto Praefecto habitis,

decrevit:

Recursum reiciendum esse et facto reici in casu.

Adversus hoc decretum datur recursus, argumentis suffultus, ad Collegium Iudicum, intra terminum peremptorium decem dierum proponendus.

Et notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis die 11 ianuarii 2013.

Raimundus Leo Card. Burke, *Praefectus*

✠ Franciscus Daneels, o.praem., *Secretarius*